# A LATIN TREATISE

## ON THE FORCE OF THE IMAGINATION IN CONNEXION WITH DISEASE



WRITTEN & PUBLISHED BY ORDER OF THE BOARD OF

TRINITY COLLEGE

DUBLIN

[illegible]

# DISSERTATIO MEDICA

AD

# PROBANDUM,

SUIS PROPRIIS MORBIS, ANIMUM PERSÆPE TENTARI,

ET

# IMAGINATIONEM

TAM IN MEDENDIS, QUAM IN EFFICIENDIS VARIIS CORPORIS MORBIS, PLURIMUM POSSE ;

PRÆPOSITI ET SOCIORUM SENIORUM UNIVERSITATIS HIBERNICÆ

JUSSU,

EX

DOCTISSIMORUM MEDICINÆ PROFESSORUM, EÂ IN UNIVERSITATE,

DECRETO

PRO GRADU DOCTORATÛS,

Summisque in MEDICINÂ, honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis ;

SCRIPTA ET COMPOSISTA

A JOANNE SMYTH, A.M. M.B., T.C.D.

EBLANENSI.

" Est quodam prodire tenus."

EBLANÆ :

TYPIS JOANNIS PORTEOUS, MOORE-STREET.

MDCCCXXXII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDO STEPHANO C. SANDES,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI

UNI

E

SOCIIS SENIORIBUS

ET

PRÆLECTORI PRIMARIO

IN

UNIVERSITATE DUBLINIENSI,

DOCTRINÂ AC VITÆ PROBITATE

ADMODUM EXCELLENTI,

LAUDEMQUE OMNIUM,

Invidiâ vel invitâ fatente,

USQUE ASSEQUENTI;

OB BENEFICIA QUAMPLURIMA IN SE COLLATA

HOCCE OPUSCULUM

PARVULUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D. Q.

AUCTOR.

NECNON

HENRICO MARSH, M. D.

IN

URBE DUBLINIENSI

MEDICÆ ANTISTITI ARTIS;

EAMQUE

Maximâ cum laude,

SUMMOQUE CIVIUM COMMODO,

EXERCENTI

MULTIPLICI MEDICINÆ SCIENTIÂ

PRÆDITO,

Ideoque quantum fieri potest, certam rei hìc tractatæ, notitiam,

HABENTI;

DIFFICILLIMUM ESSE

" Propriè communia dicere"

EODEM TEMPORE

AGNOSCENTI,

HANC DISPUTATIUNCULAM,

PIGNUS ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

D. D. D. Q.

AUCTOR.

QUINETIAM

JOANNI BAGWELL ARMIGERO

DE

MARLFIELD IN COMITATU TIPPERARIENSI

QUAMPLURIMIS VIRTUTIS ORNAMENTIS

EXCULTO,

AUTHORITATE, HONORIBUS ET GRATIA INTER SUOS

FLORENTI

IN STUDIIS LITERARUM,

(QUARUM TIROCINIUM SUB AUCTORE PERFECERAT)

VERSATO;

ALUMNO DISCIPLINÆ SUÆ,

IN

STUDIIS SCHOLASTICIS,

QUONDAM SUPERANTI,

HAS NUGAS LITERARIAS,

GRATIA HONORIS

D. D. D. Q.

AUCTOR.

# DISSERTATIO MEDICA

DE

# MORBIS ANIMI

ET

# IMAGINATIONIS EFFECTIBUS,

*ETC. ETC. ETC.*

---

Summum Medicinæ honorem in celeberrimo Sacro-sanctæ et Individuæ Trinitatis Collegio, juxta Eblanam, petens; solitis Examinibus, pro gradu Baccalaureatûs in Medicinâ exactis, anno octingentesimo decimo nono—et post similem periclitationem pro gradu Doctoratûs anno octingentesimo trigesimo secundo, aliis quoque scientiæ medicæ documentis, exhibitis; denique scribere aliquod et scriptum in lucem edere jussus; quos-

dam proprios animi morbos, Imaginationisque effectus; et in medendis et in efficiendis variis corporis ægrotationibus "utpote res tenues tenui sermone peractas," Scriptis mandare statui.

Pauca tamen de animâ et Imaginatione, priusquam ad præcipuum hujus rei caput perventum erit—sunt explananda.

---

QUÆDAM PRÆMUNITA DE ANIMÂ MINISTRISQUE EJUS, VIDELICET, CEREBRO SYSTEMATEQUE NERVOSO.

Anima definiri potest illa vitalis, actuosa, substantia et immortalis in homine, in quâ existit principium unde Perceptio, Memoria, Imaginatio, Ratio, Voluntas cæteraque emanant. Anima per systema nervosum, perque cerebrum,

originem et fontem hujus systematis; inter se, corpusque humanum; itemque inter corpus humanum et res in mundo circumfusas, commercium tenet. Cerebrum, perfecto in statu elaboratoque, non solum sensationis et originis motûs: sed etiam intellectûs domicilium est. Quemadmodum inde functiones ejus variis in modis deficiant aut parum succedant; fundamentum morborum humani corporis multorum fit. Pari ratione, aliis ex causis similibus, aliter autem agentibus, multi humanæ mentis morbi oriuntur. Perinde ut generis nervosi functiones inter animalia, rationis expertia, et vegetabilia, plantasque; sic inter bestias et homines, hæ functiones, cum perfectæ et exquisitæ sint, discrimen insigne ponunt. Hic obiter notandum est, quòd propter varia thoracis abdominisque viscera, connexa, nervorum ope,

cum organo, κατ' ἐξοχην generali, priscis temporibus, anatomiâ non multum excultâ, diversæ cerebri vires vitales, hisce visceribus attribuebantur. Quamobrem consuetudo assignandi cordi, hepati, spleni, renibus, intestenisque situm, sedemque vel facultatis intellectualis vel perceptionis moralis; propriâ vel metaphoricâ significatione, gentes inter omnes hodie obtinuit. Mirandum non est, quia usus cum fere omnium magistrorum præcepta superat—ita arbiter loquelarum habendus est—

" Si volet usus——————

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi,"

Hac in re confusas humani generis notiones, Anatomiæ studium emendavit. Dum enim plurima viscerum, quibus

sensationis situs refertur, per nervos se associent cerebro, et in ejus affectibus Compatiantur; nihilominus, talium, ortum, et originem affectionum, esse in eo ipso, ita demonstrari potest, ut nullus dubitandi locus sit. Ad hoc demonstrandum, alios aliis functionibus nervos, proprios sensationi, proprios suosque motui subservire, memoriâ teneamus. Si nervi, qui, partes, sensatione motûsve potestate, præditas, suppeditent, inter cerebrum et extremitates impressiones recipientes, intersecentur; et sensatio et motus suspendi possunt—In Paralysi, quamvis Intellectus, Sensatio et Motus voluntarius simul afficiantur; tamen diversæ nervorum fibræ, quibus sensationis et motûs functiones separatim innituntur, aliæ aliàs morbo laborant; ita ut potestas movendi impediatur, salvâ sensatione, et e contrario,

motu voluntario illæso, Sensatio deleatur.

---

## DE ANIMÆ IMMORTALITATE.

Antequàm me accingam ad palam faciendum; morbos esse quosdam animo proprios; in medium proferre argumenta nonnulla, posse animam, a corpore seperatam, existere, exhibentia, haud alienum videtur. Non mihi consilium est in præsentiâ, iis argumentis, quibus Sacræ Literæ scatent, ad animæ immortalitatem demonstrandam uti.

In transitu, Literas sacras, verba Dei esse facillime probari potest, ex eo, qùod spectatores et testes rerum, in quibus, vox et potentia Dei maximi luce meridianâ clariores apparent; in sacris mo-

numentis scriptarum, memoriæque traditarum, (ut multi scriptores rem digito propemodum centies ostenderunt,) neque falli neque fallere potuerunt. Hæc taceo mittoque et quod magis ad propositum Thesis medicinalis pertinet—ex armamentariis Physiologiæ Pathologiæque arma promam. Intra fines harum scientiarum in præsenti diligenter me tenebo.

Primum igitur notatu dignum est, nervo, mediâ in parte vel inter extremitates ejus, irritato, dolorem vel convulsionem, in partibus ab eo suppeditatis oriri; secundò, membro, a corpore, diviso, parti jam remotæ dolorem referri. Hæc, inter cætera, animam habere essentiam existentiamque a corpore diversas, probant. Quâ aliâ enim viâ, quove alio modo, hujus fallacis sensationis aliarumque actionum, quæ falsas sensationes

ideasque faciunt; rationem reddere possumus? Ex doctrinâ motûs fluidi liquoris nervosi vel tensæ chordæ, vel cujuslibet corporis aliûs, hoc factum aliaque similia sustineri non possunt.

Præterea de gradibus, durationeve motûs: nunquam vero de sensatione profluente e motu, loqui assuescimus. Ratio enim non concedit, nec patitur id, quod est absurdum et sensum nullum habet bonum. Ne pro certo igitur habeamus Perceptionis potestatem, ex organicis fibris, quibus corpora nostra componuntur, constitui; nec, qùod hoc in statu rerum præsenti, sensus sint instrumenta, quibus res externæ a mente cognoscantur; mortem, animæ finem æque ac corporis functionum esse, reamur.

Quamvis enim: oculis videamus, audiamus auribus, palato et linguâ guste-

mus, naribus olfaciamus digitis aliisque tactûs organis tangamus; sensationis instrumentum et Ens sentiens idem esse; nec, eodem tempore, a functionibus desistere, non sequitur. Conspicillo enim abjecto, videndi potestas non deletur: quare igitur oculis, visûs instrumentis, majorem vim attribuimus? Nonne ergo nos existere posse, existentiæque conscios esse et respectu perceptionis intellectûsque omnino easdem personas esse, sine oculis, auribus, cæterisque sensationis instrumentis verisimile est?

In Utero, et a die, quo nati sumus, status existentiæ noster longe diversus fuit: similiter mors, existentiæ modum mutabit, eam autem non perdet.

Omnes ideæ nostræ ex sensatione et reflexione oriuntur. Has ideas semel acquisitas, mens, organis, quibus eas recepit, deletis, retinere, componere, ab-

strahere potest. Inde vim percipiendi et organa, quibus percipimus, res diversissimas esse infertur: aliter visu amisso, nullæ ideæ oculis receptæ retinerentur. At eos, qui sunt oculis capti, non cessare, quoad perceptiones, a sensu visûs primò derivatas, mente cernere, bene notum est.

In somno, brevi morte, percipiendi facultas, organis ejus sopitis, actuosa est; inde colligere, animam, huic facultati rem substratam, vitâ corporis extinctâ, existere posse haud absurdum videtur. Quomodo, animâ non existente accidisse potuit, ut homines, linguas, diuturnâ oblivione, obrutas, quas autem, semel bene callebant, in memoriam, morbo ingruenti, subito revocarent?

Præterea, quâ ex origine, nisi ex animâ procedit voluntas, cui obediendo, membra moventur. Sed, vel in mem-

bris, vel in cerebro voluntatem, inhærere responsum erit. Quomodo tunc ratio sanæ voluntatis et salvæ atque perfectæ, membro e corpore exsecto redditur? Illi, quibus alia mens sit, voluntatem ex cerebro procedere instent. Hæc methodus rem explicandi, cum doctrinà, quam sæpe audimus, viz. omnem sensationem ab externarum impressione rerum per nervos produci non convenit. In exemplo nunc allato, nec cerebrum nec nervi ab externis rebus excitantur. E re, cui inhæret voluntas, proxima motûs causa procedit, et hanc rem omnino a cerebro esse diversam ex hoc demonstrari potest; quod sæpe non solum in hoc casu; sed multis in corporis morbis, mens sana in tabido corpore, admodum debili, insanoque, apparet; Cerebrum, eodem tempore, vel ex tabe, vel multo ex pure collecto, vel plurimâ

ex aquâ secretâ, morbi exitialis sedes invenitur. Hanc mentem sanam vel Ens, cujus est, ex præmissis, esse aliquid diversum et discretum et distinctum a corpore, fateri necesse est Si usque ad extremam corporis vitam; corpore ipso admodum tabescente, sentiens hominis pars evidenter vigeat prævaleatque; nonne nos mortem corporis, esse novum animæ ortum, existimare decet.

Modum, quo corpus morte afficiatur, consideremus; et tunc, Ens, in quo, perceptio, memoria, imaginatio, cogitatio et voluntas habitant, ab hoc terrorum rege, non destrui, vel cæco apparebit. Mutuas, trium principalium corporis viscerum, relationes, consideratio mortis amplectitur. Hæc tria viscera sunt cor, pulmones et cerebrum. Ex his, divisio phænomenorum organicorum, ani-

maliumque humano in corpore oritur. Cor, arteriæque sunt actionum vitalium bases et vitæ fons organicæ præcipuus. A cerebro et systemate nervoso, vita animalis originem trahit. Sanguis, in pulmonibus, mutationes, quæ vitæ necessariæ sunt, subit. Ergo in æconomiâ animali, respiratio locum in usu, secundum sanguinis circuitum tenet; et inter phænomena organicæ vitæ et animalis copula fit. Quamvis vitæ functiones variæ sint; iisque omnibus mors finem imponat; plerumque tamen a pulmonibus, a cerebro, a corde, vel a cerebro et corde simul, initium capit. Mors igitur organicarum, animaliumque functionum cessatio est; at supra demonstratum fuit perceptionem, memoriam, imaginationem, abstractionem ab his, res esse diversissimas; ergo mors supra animam his substratam facultatibus nul-

lam dominationem exercet. Homines, vel invitissime agnoscere, corpora non annihilari; potius autem, alia in elementa mutari, coguntur: existentiâ igitur animæ, quæ, nullas partes, ideoque nulla dissolutionis semina habet, concessâ, consimili plane ratione vel a fortiori, animam in nihilum redigi omnino est impossibile. Ergo nullo negari ore potest; quin anima immortalis sit.—Hanc Dissertationis partem ad exitum perducam, viri eruditionis non aspernandæ medicinæque periti; verbis utendo—

"Animula vagula blandula
Hospes comesque corporis;
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula
Nec, ut soles, dabis jocos?"

# COMPARATIO INTER ANIMAM ET CORPUS.

In hac dissertatione ordinate peragendâ mihi usui esse maximo videtur; de nonnullis, fere omnibus notis et de quibus; ex supra dictis, certissimâ fide mihi persuasum est; iterum facere mentionem; viz. Animum esse immortalem, sempiternum, et Deo omnipotenti immediate emanantem; Corpus, caducum, fragile terrenumque credo. Perceptio, judicium, discursus, imaginatio et memoria, facultates animi præcipuæ sunt; et dici possunt nostri sensus interni. Visus, auditus, olfactus, gustus tactusque sensus externi appellantur. Enumerare optimos modos, quibus sensus interiores instituantur et ex-

terni sensus educentur; proposito in præsentiâ alienum videtur. Alio tempore ut spero, haud longe remoto, ex principiis Intellectualis et Physicæ Educationis, cujus est talis disciplina, edere in lucem, Tractatum de optimâ ratione, quâ, animi et corporis dotes recte instruantur, mihi in animo est. "Nec manus nuda" (ait *Baconus) "nec intellectus sibi permissus, multum valet; instrumentis et auxiliis res perficitur, quibus opus est non minus ad intellectum, quam ad manum." Sed ad rem. Corpus, sensationes habet: animus suas, quæ Pathemata nuncupantur, quoque possidet. Variæ sunt corporis sensationes, nempe labor simplex, dolor levis, otium, fames, sitis, calor, cum multis aliis hujusce generis. Has excedunt numero animi Pathemata nimirum—Mœror, gaudium, amor, odium, avaritia, ambitio, arrogantia, plurimis,

* Nov. Organ. Lib. i.

cum similibus, quæ secundum commodum, aut incommodum, quod ab his oriatur; varii voluptatis vel doloris gradus, modique habeantur. Corpus in cunctis, paucis, aut singulis potentiis et facultatibus debilitari potest.

Respectu animi idem dicendum est, perceptio et imaginatio, cæteris animi affectibus salvis et sanis, sæpissime turbantur. Hominem mentis compotem esse, haud raro invenimus, tempore, quo, malis libidinibus, obediens sit. Præterea ut corporis habitus, sanguineosi, plethorici aut nervosi generis sit; ita animus nimiæ confidentiæ, fortitudinisque notâ sit impressus; aut ejus constitutio hebetis, inertisque characteris esse inveniatur. Perceptionem, citam, memoriâ tardâ, judicium, strenuum, imaginatione deside, et vice versâ, nonnunquam videmus; lubidinibus, eo-

dem tempore aut vividis aut extinctis; aliquando autem nonnullæ earum ardentes sunt, cum aliæ auream mediocritatem diligunt. Leves vel animi vel corporis mutationes a modulo sanitatis vix morbi designantur; tales ergo a nobis in præsenti sunt prætereundæ. His præmissis, paucos animi morbos enumerare properamus.

---

## DE PROPRIIS ANIMI MORBIS.

Doctus Medicus, eruditus et peritus in libro de studio Medicinæ scripto, morbos animi, in GENERA, quæ nominantur Ecphronia, Empathemata, Alusia, Aphelxia, Paroniria et Moria: sub ordine PHRENICA, classeque NEUROTICA,

redegit. Hac divisione uti stat sententia: Quid valeant igitur hæ voces, perstringere sat erit; quia Græco fonte derivatæ, ex *Etumo*, quod æque, ac definitio longa explicet, quid sibi volunt, ab eruditis facillime intelligi possunt.

ECPHRONIA—extra mentem—sonat—ejus species sunt—Melancholia, Maniaque.

EMPATHEMATA—sibi volunt, affectus seu animi perturbationes, quarum species sunt 1mo, Affectus excitantes—v. G. Lætitia, Philautia, Superbia, Gloriæ fames, Iracundia, Zelotypia. 2ndo, Affectus deprimentes, quales sunt Desiderium, Aurí fames, Anxietudo, Mœror, Desperatio. 3tio, Affectus cerebrosi, viz. Ira indomita et Paroxysmi furoris.

ALUSIA—aberratio—mens errabunda—Species sunt—Heroica mentis elatio. Elatio faceta—Ecstasis—et Elatio Fanatica.

HYPOCHONDRIASIS—cujus species sunt Hypochondriasis Autalgica—i. e.—se ipsum excrucians, Hypochondriasis vitæ pertæsa et Hypochondriasis Misanthropica.

APHELXIA, i. e. Animus, inertiæ deditus otiatur aut studio inani indulget; ejus species suut Aphelxia socors, Aphelxia fixa et intenta, Aphelxia otiosa.

In PARONIRIÂ—Animus tumultuosus terribilibus somniis sæpe vexatur: et nonnunquam ad ambulandum, vel ad eloquendum, vel ad urinam reddendam, vel ad seminis emissionem concitatur. In tali còrporis statu, perceptio, judicium et instrumenta motûs voluntarii dormiunt; dum Memoria et Imaginatio vigent et ad actiones supra memoratas, dormientem excitant.

In MORIÂ—animus fatuus, stultus est

—species sunt Moria imbecillis—Moria demens—varietates sunt Ingenium hebes, oblivio, credulitas, Inconstantia.

Hâc ex enumeratione videndum est, singula genera; varias, amplecti, species, quæ ex statu morbido unius aut plurium facultatum animi; aut ex eo, quod non subserviunt aliis aliæ, procedunt. Exempli gratiâ Impressiones ex sensibus externis receptæ, a perceptione, falsò aut saltem non accuratè exhibeantur: facultatem vel vim discernendi amittat judicium; memoria eas non retineat; imaginatio vel affectus animi perversè concitentur. En tibi, lector, causa et fons morborum, qui in præsenti ordine locantur.

In Melancholiâ et Mania perceptio et judicium in errore sunt: utra harum facultatum magis deliret; judicandi haud raro occurrunt opus laborque. Ideas

ex sensatione derivatas, a judicio mutari Philosophus illustrissimus, Pervestigator naturæ profundissimus; porro etiam Medicus haud contemnendus, doctissimus Dominus Locke, jampridem docuit. Si in statu sanitatis hæc se habeant, generi agendi simili, morbo ingruente, mortales procliviores esse plane apparet; et experientiâ magistrâ demonstrari potest. Homines, operibus, in quibus imaginatio multum exercetur, operam studiumque navantes, præsertim cum hæc imaginationis incitatio, lenioribus judicii mentisq; muneribus et functionibus, quæ melius ferant, ut satientur et fatigentur, neque frenetur neque compescatur, Melancholia et Mania plerumque vexant. Tales sunt Superstitiosi, Religiosi, Pictores, Poetæ, Musicique; dum illi, qui judicandi facultatem colunt; horum malorum ferè expertes sunt. Hujus gene-

ris sunt Physiologiæ, Medicinæ, Chimiæque periti, Geometræ, cæterique hoc genus.

Plurimas alias animi ægritudines, et defectus judicii communes, nunc non est mihi otium tractandi, hos morbos, quippe qui occurrant quotidie, lectori notos esse, haud dubitandum est.

---

## METHODUS MEDENDI.

Si Deus me adjuvet, ut voti compos fiam ; videlicet, ut scriptis, cogitationes meas, de Educatione Intellectuali, mandem : Horum morborum aliquibus, methodum medendi copiosius præstabo. In præsentia, lectores, hujus cardinis,

in medelâ prosequendâ, rationem medendi; magnâ ex parte, moralem esse, et cognoscere consuetudinem valentis —corporisque naturam, res esse magni momenti; tantummodo commonebo.

---

## DE IMAGINATIONIS EFFECTIBUS IN MORBIS MEDENDIS.

Per Imaginationem, intelligo, illam mentis facultatem, quâ, notiones, quarum sigillatim fundamen, in rerum natura existat; vel fictæ imagines, quæ in hominum opinationibus magis, quam exploratâ rerum certitudine, et originem et existentiam habeant, conjunguntur; harum autem notionum vel imaginum ita

compositarum nusquam alibi omnino similitudo reperitur.

Haud absonum proposito erit—observare; corpus et animum se invicem afficere; et id, plurimis argumentis omissis, jam inde probari posse: Quòd Delirium febris gignit. Hypochondriasis Dyspepsiæ causa est. Natura causæ proximæ, quæ cogitatione, nervos, vasa, musculos movet, adhuc remansit, et fortasse in æternum remanebit arcanum, cujus profunditatem, hominis industria, ingeniumque nunquam explorabunt. In organa voluntati non subjecta, similes effectus, id quod multo mirabilius est, anima profert. Quamvis causa incognita est; effectum tamen est admittendum—Inter talium numerum effectorum, ubi rationale vel modus explicandi maximis difficultatibus nos urget, ea, ab imaginatione, producta, summum locum

habere debent. Ad hoc monstrandum quædam crassa exempla adducam.

Curationes, magniticis instrumentis metallicisque, vel tactu, vel iis intendendis partes affectas versus, amuletis, relequiis sacris, carminibus, incantamentisque attributæ, maxime ad rem faciunt. Quâ aliâ potestate; nisi vi imaginationis, talia effecta esse potuerunt?

Tactus Regalis aptum Scrofulæ remedium olim dicebatur. Eandem ob causam verrucæ, chartulâ, in quâ aliquod vanum carmen inscribitur, iis applicatâ, abeunt. Simili imaginationis ditioni, nova medicamenta efficientiam debent. Quâ de causâ, eadem medicamenta, in manibus medici, cujus fama increbuit, efficaciora erunt; quàm cum a filio Æsculapii minus noto præscripta sint, Medicus igitur famâ illustris, ide-

oque multum petitus, morbis pluribus, quàm alius æque habilis, æqueque instructus medebitur: si ægri majorem illius quam hujus opinionem habeant. Quinetiam, remedium idem, ab iisdem manibus datum, eundem effectum non producere, inde evenit: Quia in morbis curandis, hæc imaginationis vis et potentia sæpius negliguntur, et medicamentorum mechanicæ actioni chemicæque ; auxilio imaginationis potenti, co-operationeque virtutis animi prætermissis, nimium confisum est. Ex Historiis, quas jam allaturus sum, in systemate vasculari vel nervoso ad mutationes consequendas, a vi medicinæ omnino differentes, imaginationem valere satis evidens erit. Ergo remedium esse efficacissimum suis in manibus, Medicus bene doctus recordari debet—ita ut vi Imaginationis Medicinæque potentiâ

conjunctis, ad ultimos fines ars sua utilissima extendatur.

Medicus, nomine Lind Haslarensis, artis suæ gnarus, hanc rem jamjudum demonstravit. Res Bredæ occurrerunt et a Domino Vander Myse narrantur. Anno milesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Bredâ oppunatâ, milites Præsidii scorbuto erant gravissime affecti: eorum statu, a Serenissimo Principe Arausiensi; plus satis intellecto, Princeps timens—ne locus hostibus traderetur, epistolas, quibus prompta morborum remedia promittebantur, misit.—Medicamenta quædam, contra scorbutum efficacissima, has epistolas comitari dicebantur. Hæc fama vagatur. Artificium mirum in modum successit Singulis medicis tres parvæ phialæ, quas, *scilicet utpote res magni pretii*, perparce inter milites distribuerent, aquâ im-

pletæ, paucis ex guttis Absynthii infusionis et Misturæ Camphoræ, colore gustuque mutatis, dabantur. Præfecti, Duces, ordinum Ductores æque ac milites gregarii hoc fuco eludebantur. Quàm multi, hoc sub modo morbi tractandi citò ad pristinam sanitatem valitudinemque restituebantur incredibile memoratu est. Ad medicos, in gregibus, medicinam Principis flagitantibus concurrebatur. In vultu, oculis et fronte omnium, lætitia et gaudium apparent. Remedium Principis in summum ordinem pro merito suo evehitur. Inter vana medicamenta assimulata et irrita—unguentum cerâ oleoque compositum administrabatur. Hoc unguento linebantur, plurimi citò et perfecte sanantur. Homines, qui præ debilitate, dies plus minus triginta pedibus non usi erant; valentes, recti et sani; curationem,

remedio Principis effici, gloriantes, nunc in vicis ambulantes videntur. Multi, qui, omnibus aliis medicamentis deteriores se esse affirmabant, paucis diebus, hoc præcipuo medicamine sani redduntur. Per vim imaginationis igitur omne ignotum pro magnifico.

---

## DE VI MAGNETICÂ, IN HOMINES, PER IMAGINATIONEM AGENTE.

E Sententiâ Domini Mesmer: vis magnetica, fluida substantia est, undique diffusa et omne spatium implens; omnibus systematis nervosi morbis me-

deri potest, actionem medicinæ efficacem reddit; morborum *crises* dirigit, perfecitque—ita ut hæ crises penes medicum sint. De statu valetudinis uniuscujusque, in eo quod spectat ad originem, naturam, progressumque morborum, potestatem judicandi medico dat. Quid opus est verbis? Natura, magneticâ in vi, methodum universalem servandi homines, eorumque dolores leniendi, offert. Voces et præterea nil!! Modum agendi, instrumenta et effectus hujus *præstantissimi* remedii nunc discamus.

"Spectatum admissi risum teneatis amici."

Arca circularis, medio in conclavi, elevata, posita est. In arcæ operculo, plurima foramina erant, per quæ, ferreæ

laminæ protrudebantur, ægri circa arcam collocabantur.

" Alternosque orbibus orbes impediunt."

Laminam ferream, quæ parti morbosæ facile applicari potuit, singuli tenebant. Corpora, fune circumdato, connectebantur; numeris musicis, eodem tempore delectabantur. Illi, qui vim magneticam, in hunc modum experti sunt, varie afficiebantur. Alii quieti remanebant, nil insolitum sentiebant; alii tussi et screatu afficiebantur; alii de levibus doloribus querebantur; sudore perfluebant vel spasmis vel hystericis symptomatibus cruciabantur. Status convulsivus vel lethargicus *crisis* nuncupabatur. Hâc a vi magneticâ, re verâ apparebant talia phenomena, quæ

ex effectu imaginationis procedere nunc ostendam.

Ad hanc rem investigandam a Gallico rege constituti sunt Delegati; quorum nonnulli, imbecilli valitudine laborabant. Hi, ut hujus multum prædicati remedii periculum facerent, se, potestati magneticæ per tres dies, modo dicto, subjectos esse siverunt. Cum nulla effecta supradictis similia, orta sunt ; legitima igitur conclusio, in corpus sanum vel paulo infirmius, vim magneticam, telum esse imbelle, sequitur. Infantes, pueros et ingenuos, in literarum studiis versatos hujus ludificationis immunes esse, notatu dignum est : dum in fraudem facillime alliciebantur Mulieres, et homines vel ignari, vel nervis parum firmis.

Plurimæ mulieres, quæ, apertis oculis, in quibusdam corporis partibus bene definitis, se vim magneticam experiri

dicebant, omniaque *Crisis* symptometa exhibebant: eidem actioni, opertis oculis, subjectæ, partibus omnino diversis ejus vim referebant,—sic ex eodem ore, calidum et frigidum efflabant;—sed audi, benigne lector, quod durius, insulsiusque est; *nullo, magneticam artem exercente, visu adhuc operto, se effectus similes, iis, quos vis sub actione magneticæ sentiebant, experiri prædicabant.*

Dominus Segault, Medicus celeberrimus, hominem, excrucianti capitis dolore laborantem, et ei forte fortuna occurrentem, gestibus paucis factis et vîs scientiâ magneticæ animalis simulatâ, statim sanavit. Vix opus est plura scribere, ad vim Imaginationis probandam in morbis medendis. Ex jam dictis jugulus causæ non potest non concedi. Aliud autem exemplum similis fuci dabitur.

Anno millesimo septuagesimo nonagesimo octavo. Americanus nomine Perkins in Britannicas Insulas, morbis medendi methodum pro quâ, literas patentes obtinuit, invexit.

In arte suâ exercendâ, duobis parvis metalli frustis, quæ Tractores, nuncupata fuerunt, utebatur. Non solum infirmæ, sed etiam sanæ corporis partes his Tractoribus perstringebantur. In hunc modum plurimi gravissimi morbi removebantur. Paucis mensibus, fama Tractorum disseminata est, et omnes fere Britanniæ valetudinarii eos tentaverunt. Fama *Tractorum* ita aucta est, ut nosocomium, quo, pauperes gratìs sanarentur, institutum est. Dominus Perkins sex millia librarum pecuniæ numeratæ tetigit, et tunc Angliæ valedixit.

Hoc tempore Dominus Haygarth Medicus celeberrimus falsis, pro veris trac-

toribus, utendi notionem concepit. In publico Nosocomio AQUIS CALIDIS, quinque Rheumatismo chronico laborantes, a Domino Falconer et Domino Haygarth, duobis lignis pictis, pro veris Tractoribus, usis, sanati sunt. Postridie ex veris et ex adulterinis et ex lignis pictis ad similitudinem Tractorum metallicorum, paria effecta provenerunt.

Hæ omnes Medelæ—cum his, quæ a Domino Valentine Greatraks efficiebantur, qui, pro Scrofulâ, Podagrâ, febri intermittenti, Epilepsi et Paralysi tetigit, vi Imaginationis medicatrici, sunt enodandæ.

Celeber etiam Boerhaave, Harlemi, pueros pauperes, spasmodicis morbis afflictos, ardentis terrore ferri, sanavit. Hi pauperes, per Imaginationis imitationisque vim consociatam, spasmis afficiebantur. Hìc eadem animi facultas,

quæ vulnera inflixit et postea iisdem vulneribus medicata est, Achillis hastæ, quâ, Telephus vulneratus, et firmitas eidem parti exinde reddita est—apte comparari potest.

---

## VI IMAGINATIONIS CORPUS NONNUNQUAM MORBO LABORAT.

Nihil, ut ante dictum est, animi actione in corpus, reconditius est. Motus Musculorum ex actu voluntatis, mysterium habet. In aliis organis, voluntati non subjectis, effectus huic affines,

in aptâ corporis constitutione, offerre se nobis, compertum est. Tunicarum distentio arteriarum capillarium, ex quâ rubor genis suffunditur, ex pudore oritur. Variæ corporis partes, seu vasa seu musculi sint, nunc distenduntur, nunc contrahuntur variis animi motibus.—Hinc Apoplexia, ex irâ; pallor, syncope et mors ipsa, ex timore vel terrore proveniant. E similibus causis vel ex imitatione, Spasmi, Hysteria, Epilepsia, exoriantur. Cum hæc ita sint, in efficiendis variis corporis morbis, Imaginationem plurimum posse, quis negare audebit? At Pathemata vel animi motus, causas horum esse morborum excitantes, respondebitur. Non enim id solum non repugno, verum et approbo. Cum, imaginationem, his animi motibus, tanquam ministris suis, usam esse con-

stanter affirmo ; haud inficias ibo, Pathematum ad præscriptum, imaginationem agere in morbis efficiendis et inde hoc in exemplo imaginationem et Pathemata, idem sonare. Ut ea, quæ sub oculis nostris quotidie veniunt, præteream, hæc præclara, et ad propositum meum accommodata exempla, pro singulis ferme animi motibus ; a Domino Zimmerman antea collata, et in lucem ab eo edita, breviter monebo.

Zimmerman in commentariis, plurima exempla insignia retulit, quæ, Imaginationem, sub terroris dominatione vel mœroris, varios morbos, viz. Apoplexiam, Hysteriam, Hypochondriasim, Epilepsiam, Erysipelas, syncopen mortemque ipsam, genuisse probant.

Quidam homines arte medendi non instructi, qui libros medicos evolverint,

his morbis, de quibus legerunt, aliquando se affligi senserunt. Libri, quos in hunc modum devoraverunt, per imaginationem, pyxis Pandoræ iis facti sunt.

——————" Circumsilit agmine facto,
Morborum omne genus; quorum si nomina
quæras,
Promptius expediam ——————
Quot, Themison, ægros autumno occiderit uno."

Imaginationem sub iræ ditione, Epilepsiam, Colicam, febrim, Apoplexiam, fluxum bilis auctum, deinde, vomitum, Diarrhæam, Icterum, et nonnunquam mortem efficere memorant. Mors quoque nimio e gaudio vel ex immodico risu secuta est. Sed ne lectorem multis fatigem nominibus—Sophoclem, cui gaudium; Zeuxem, Philemonem-

que, quibus risus mortem intulit; commemorare sat erit.

Talia, illis, qui, penitus perspectos vitales animæ nodos habent, mirabilia non videbuntur: cum animos eorum ad memoriam factorum, quæ quotidie obveniant—revocent. Paucorum mentionem facere haud ineptum erit.

Pulsus, sub animi quadam subitâ perturbatione frequens fit. Motus animi deprimentes sanguinem et cor sistunt.

Organa, quæ secernunt, animi affectionibus stimulantur; eorumque secretiones multum augentur. Corpus modò sudore, et sub gravissimis animæ ægritudinibus, quales Salvator Dominus Jesus Christus, horto in Gethsemene expertus est, modò sanguine perfluit. Pro sudore, sanguis ejus pretiosus, arte-

riarum tunicis capillarium, præ animæ angustiis effusus est. E dolore oculos lachrymis impleri; timore alvum renesque concitari omnibus fere notum.—

———" Aut longos castrorum ferre labores
Si piget, et trepido solvunt tibi cornua ventrem
cum lituis audita."

Ira, fluxum bilis non solum auget, verum etiam acrem reddit. Sub irâ quoque saliva nonnunquam virus continet.

Spes frustrata vel nuncius acerbus digestionem prohibet et ventriculi secretionibus multum acerbitatis dat?

His, in oculis, sitis, animisque, servatis, quid mirum est, si imaginatio, multos corporis morbos efficiat.

Haud dubium est, quin incantamen-

ta, amuleta, carmina magica, reliquiæ sacræ, sanctorum imagines, in corpus humanum magnetis potentia, tactus regalis miracula Hohenlohensia et hoc genus omne, suam omnem vim Imaginationi debuerint.

Satis, ut spero, dictum est, ut medici de justâ Imaginationis potentiâ, scientiâ vel nimium antea neglectâ, vel non multum intellectâ, (quod errores de ejus vi in fœtum in utero probaverunt,) admoneantur.

Hæc, igitur animi facultas, quæ bonam dat vel adimit valetudinem, præstantissimum non potest non esse remedium in manibus medici periti—

——————————— "Qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas."

Ne ultra legem, opus tendam, vela sermonis sunt contrahenda.

Rem multo fusius tractare, et multa adjicere potui, sed brevitatis limites, mihi initio, propositas excedere nolui. "Edidi, quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis Augustiæ, coegerunt, scitum est enim, causam conferre in tempus, cum afferre plura, si cupias, non queas."*

* Cicero, "De Oratore." Lib. iii., cap. 61.

FINIS.

Ex aliis Exercitiis, pro gradu Doctoris in Medicinâ, 5[to] Calendas Decembris 1832, horâ locoque solitis, suscepto, A JOANNE SMYTH.